Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Prologus super canonicas epistolas

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

Et quidam credebant his que dicebantur, qui-
dam vero non credebant. Cumque invicem non
essent consentientes discedebant, dicente
paulo unum verbum: Quia bene spiritus sanctus locu-
tus est per ysaiam prophetam ad patres nostros
dicens: Vade ad populum istum et dic ad eos:
Aure audietis et non intelligetis, et videntes
videbitis et non perspicietis. Incrassatum est
enim cor populi huius, et auribus graviter au-
dierunt, et oculos suos compresserunt, ne
forte videant oculis et auribus audiant,
et corde intelligant, et convertantur et sanem
illos. Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus
missum est hoc salutare dei, ipsi et audient.
Et cum hec dixisset exierunt iudei multam
habentes inter se questionem. Mansit autem bi-
ennio toto in suo conducto, et suscipieba-
omnes qui ingrediebantur ad eum, predicans
regnum dei et docens que sunt de domino ihesu
christo cum omni fiducia sine prohibitione. Explic-
iunt actus apostolorum. Incipit prologus super cani-

Non ita canonicas epistolas.
ordo est apud grecos
qui integre sapiunt
et fidem rectam sectan-
tur, epistolarum septem que canonice nun-
cupantur, sicut in latinis codicibus invenitur.
Quod quia petrus primus est in numero apostolorum,
prime sunt etiam eius epistole in ordine ceterarum.
Sed sicut evangelistas dudum ad veritatis
lineam correximus, ita has proprio ordini
deo nos iuvante reddidimus. Est enim pri-
ma earum una iacobi, petri due, iohannis
tres, et iude una. Que si sic ab eis dige-
ste sunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in
latinum verterentur eloquium, nec ambigui-
tatem legentibus facerent, nec sermonum
sese varietas impugnaret, illo precipue
loco ubi de unitate trinitatis in prima
iohannis epistola positum legimus. In qua etiam
ab infidelibus translatoribus multum erra-
tum esse a fidei veritate comperimus, trium tan-
tum vocabula hoc est aque sanguinis et
spiritus in ipsa sua editione ponentes, et patris
verbique ac spiritus testimonium omittentibus,
in quo maxime et fides catholica robo-
ratur, et patris et filii ac spiritus sancti una divini-
tatis substantia comprobatur. In ceteris vero epistolis quan-
tum a nostra aliorum distet editio, lectoris
prudentie derelinquo. Sed tu virgo christi eusto-
chium, dum a me impensius scripture verita-
tem inquiris, meam quodammodo senectutem
invidorum dentibus corrodendam exponis,
qui me falsarium corruptoremque sanctarum pro-
nuntiant scripturarum. Sed ego in tali opere
nec emulorum meorum invidentiam per-
timesco, nec sancte scripture veritatem po-
scentibus denegabo. Incipit epistola ia-

Iacobus dei et domini nostri ihesu christi cobi.
servus, duodecim tribubus que sunt
in dispersione, salutem. Omne gau-
dium existimate fratres mei cum in
temptationes varias incideritis,
scientes quod probatio fidei vestre patien-
tiam operatur. Patientia autem opus perfectum
habeat, ut sitis perfecti et integri in nul-
lo deficientes. Si quis autem vestrum
indiget sapientia, postulet a deo qui
dat omnibus affluenter et non improperat,
et dabitur ei. Postulet autem in fide nichil
hesitans. Qui enim hesitat similis est
fluctui maris qui a vento movetur
et circumfertur. Non ergo estimet homo ille
quod accipiat aliquid a domino. Vir duplex
animo inconstans est in omnibus viis suis. Glo-
rietur autem frater humilis in exaltatione sua,
quoniam sicut flos feni transibit. Exortus est enim
sol cum ardore et arefecit fenum et flos eius